

## NUMMI CASTRENSES

## ERICI SVECIAE REGIS: CVSI BEL-

lo contra Fridericum Secundum Daniae Re-  
gem suscepto: Anno Chri-  
sti 1562.



**I**NTER ea, quæ de Erico XIII. Sueciæ Rege ab Historicis recensentur, memorabile comprimis est bellum septennale, contra Fridericum Secundum, Daniae Regem, terrâ marique gestum. Primò namque naves Daniae septem Borscholimiam versus emissæ, Admiralio Jacobo Brockenhusen, à Succicis 19. navibus excipiuntur, & tres earum præcipuæ, Hercules, Hector, Cervus, superatæ capiuntur. His adhuc modum gestis Ericus Sueciæ Rex domesticis dissidiis occupatus, suis in tempore adesse non potuit. Joannem enim fratrem Finlandiæ Ducem, ob affectati regni suspicionem, & cum hostibus collusionem in custodiam conjecerat, ejusque ministros aliquot capitis supplicio affecerat. Quibus motibus sedatis, cum exercitu, qui triginta peditum signis, & 10. turmis equitum constabat, Halmstedium oppugnat. Daniae Rex intellecto suorum periculo ex hybernis militem educit: exploratoribus præmissis, sine ullo tubarum clangore, & strepitu tympanorum, primâ noctis vigiliâ rectâ ad hostium castra ducit, eorum benè multos capit: aliquot occidit. Sueci collectis impedimentis castra movent, & quanta possunt celeritate, integris ordinibus recedunt noctis beneficio usi. Dani fugientibus acriter à tergo insistant, & extremum agmen carpunt. Sueci signa convertunt, aciemque explicant. Schwartzenburgicus primopilo præerat, qui